

Q 05.856

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE SANTIAGO



00240935

IN SCHOLARUM INSTAURATIONE

ORATIO

COMPOSTELLÆ ANNO MDCCCXXXIV.

XV. KAL. NOVEMB.

A

PETRO LOSADA ET RODRIGUEZ

SS. CC. DOCTORE, PUBLICO RHETORICES

ET POETICES ACADEMIÆ MODERATORE

EX LEGIS PRAESCRIPTO HABITA.



In Typogr. hæredum à Montero.

1. The first part of the document discusses the importance of maintaining accurate records of all transactions. It emphasizes that this is crucial for the company's financial health and for providing reliable information to stakeholders.

2. The second part of the document outlines the specific procedures for recording transactions. It details the steps from identifying a transaction to entering it into the accounting system, ensuring that all necessary details are captured.

3. The third part of the document discusses the role of the accounting department in monitoring and controlling the company's financial performance. It highlights the importance of regular reviews and reporting.

4. The fourth part of the document addresses the challenges faced by the accounting department and offers strategies to overcome them. It focuses on improving efficiency and accuracy in the recording process.

5. The fifth part of the document concludes by summarizing the key points and reiterating the importance of a strong accounting system for the company's success.

Studiorum nostrorum finis, Dignissime Rector Sapientissimique Magistri, praecipuus et unicus aeterna temporalisque felicitas est, nostramque studiosam juventutem hac tantum de causa erudiendam suscipimus, ut et vitam quietam et felicem transigat, et patriae inserviat, et postquam diem supremum obierit inter coelitem choros locum obtineat. Haec est ultima studiorum et scientiarum linea, haec curriculi litterarii optatissima meta. Sed quo modo quibusque mediis scopum hunc juvenes litteris dediti attingant dicere mihi in animo est: ita enim et munus academicum adimplebo et Patriae Religionique utilitati consulendum censeo. Sinite ergo Prudentissimi Magistri ut tiro-nibus nostris in hac instaurationis studiorum die, dicam quod saepissime à vobis audivi, quod omnium nationum et aetatum testimo-

nio comprobatum manet, quod denique nemini unquàm qui sanâ mente cogitet dubium esse potest. Scilicet: „*Ad veram felicitatem studiorum nostrorum finem, comparandam his tribus potissimum opus esse: Religionis veneratione: legum sanctâ et inviolabili observantiâ: honoris et gratitudinis erga magistros et discipulorum et eorum parentum testificatione.*” Vobis verba facio juvenes optatissimi, vestrae felicitatis promovendae causâ.

Nemini dubium unquam fuit quin disensionibus et externa hostium vi respubli-
cae labefactentur, quorum primum multò
gravius est malum, multòque plus secum
affert periculi Cum enim disensio tecta sit
et latens serpit paulatim intimisque reipu-
blica visceribus sensim se implicat et eam
paulatim consumit. Romana respubli-
ca quam sui cives junctis armis et animis ad
eam amplitudinem provexerunt, ut eosdem
imperii sui quos orbis fines habuerit dissiden-

tibus inter se ducibus armisque in mutuam caedem ruentibus solutis veluti compagibus desiliit; et victrix orbis succubuit sibi. Concordiâ enim res parvae crescunt discordiâ maxima dilabuntur. Sed unde, juvenes charissimi, unde provenit haec lues, haec terribilissima discordia? Ab impietate à Religio- nis contemptu. Ciceronem maximum legum peritum, maximum urbis rectorem, maxi- mum philosophum audite lib. 1.º de natura Deorum. „Pietate inquit adversus Deum sub- lata, fides etiam, et societas humani gene- ris, et pax et concordia, et una excellen- tissima virtus justitia tollatur necesse est. Facilius enim est urbem condi sine solo quam opinione de Deo penitus sublata ci- vilitatem coire aut constare.” Et revera juve- nes nulla inter impios felicitas, nulla ami- citia, nulla societas, nulla pax. Quomodo haec omnia quaerenda erunt inter homines illos, quibus id unum curae est, ut rem fa- miliarem quoquo modo augeant, et per fas,

nefasque opes accumulent? Quomodo cum iis vivemus qui sibi vitae regulam statuunt illud Horatii effatum. „*O cives cives, quaerenda pecunia primum est, virtus post nummos?*” Sit ergo vobis alta mente repostum verae felicitatis, quam studiis vestris prosequimini, pietatis et Religionis cultum primum esse uberrimumque fontem, Deum hominem pium semper ab omni malo tueri, sapientiae denique initium Dei esse timorem. Nunc de legum humanarum sancta observantia dicamus.

Nihil tam aptum ad jus conditionemque naturae quam lex, sine qua nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis nec ipse mundus potest. Ita orator romanus lib. 3.^o de legibus scribit. Et certè ubi legibus et magistratus voci non obtemperatur, libertate et licentia grasantibus omnia pessimum ibunt cunctique cives (si hoc nomine licet appellare qui legibus non sunt obnoxii)

(7)

in turpissima scelera atque flagitia praecipites ruent, nec quidquam intererit nostram inter et pecudum vitam, civitasque omnis quantumvis bene ordinata et instituta in ferarum saltum transivit. Hinc illud Licurgi singulare factum. Cum enim sapientissimus legislator Spartam legibus suis instructam videret, nihilque deesse praeter ipsarum observantiam et perpetuitatem, advocata concione, Delphos sibi necessario eundem esse dixit oraculi de praecipuis quibusdam rebus ad Lacedemoniorum Rempublicam spectantibus consulendi gratia: orat nihil circa leges jam institutas modumque administrandi civitatem ante ejus reditum mutant. Cum id omnes maxima animi alacritate promiterent, à singulis ordinibus juramentum hac de re exegit, quod similiter cuncti ob summam viri auctoritatem promptissimè promiserunt, orantque ut bonis avibus Delphos petat, et secum civium vota deferat. Peregre itaque profectus statuit Spartam unquam amplius

reverti, ut Lacedæmonii leges illas perpetuò servarent, ac juramento adstricti ab his violandis aut immutandis religione deterrentur. Amicorum itaque consortio et aliis quibus domi frui potuisset commodis ultro se privans exul vitam finivit ut suâ miseriâ patriae pareret felicitatem.

Hanc etiam ob causam afirmat Plato solemne legislatoribus fuisse, ut in promulgandis proponendisque legibus opera poetarum uterentur, qui lepore quodam ingenii, ut indole sunt ad omnem amaenitatem compositi poetae, illas condirent, ac jucundissimis numeris, vocumque et syllabarum aptè et suavità cadentium, concinitate, earundem rigorem et asperitatem lenirent, faciliusque hoc pacto omnes ad eas amplectendas observandasque inducerent. Huc etiam aludebant antiqui dum Orphea saxa feras et silvas cantu, ac citharae sono traxisse comminiscerentur. Nihil nimirum volebant aliud, quàm eum oris ut ita dicam plectro suavi-

ssimisque verbis, quibus honestae vitae praecepta continebantur, silvescentes agrestium animos temperare, barbarisque ac beluinis moribus bruta quodam modo effectos in homines denuo efformasse, ac in eandem vitae societatem perduxisse. Unde et nonnulli Graeciae populi leges in concentu quodam filiis à pueritia adiscendos tradere solebant, ut cum musicae suavitate amor legum in cereos eorum animos ilaberetur, unaque cum ipsis adolesceret, ac tota deinceps vita haereret eorum mentibus infixus. Et sane si quanta hominibus ac Reipublicae à legum et magistratum observantiâ proveniant commoda serio perpendamus, nemini mirum videbitur sapientissimos illos viros tanto studio in id incubuisse ut utiles ac salutes ferrentur leges, et ubi latae fuissent summâ curâ ac diligentia stabilirentur. Aristoteles fructum maximum, qui ex legibus procederet considerans, eas salutem reipublicae appellat. Heraclitus leges moenibus

comparat immo anteponit. Civitas enim, inquit, sine moenibus consistere potest ut de Sparta vidimus, quae muris cincta non erat, sine legibus vero nequaquam. Lex, inquit, Plato est vivendi et gubernandi ratio norma que vera, quae per convenientem viam hominem ad optimum deducit. Lex est Dei universa exornantis spirans imago. Dum apud Lacedemonios leges vigeabant hostibus erant terrori, dum jacerent contemptui et nomen illud Lacon ad quod tota Grecia tremebat, et in se fulmina continere videbatur; hoc ipsum nomen postea nihil erat, et tantummodo ad terriculamentum puerorum usurpatum. Hoc ipsum Romanorum etiam Rempublicam perdidit. Leges quamplurimas illi tabulas inscriptas, in templis, in curia, in foro publicè appendebant interim in summa libertate seù potius licentia vivebant, et sub ipsis quasi legum oculis exleges, rectique et honesti ratione posthabita, in omni se turpitudinum coeno vo-

luptabant. Illos proinde de hac causa carpens comicus poeta ac velut legum vicem miserans, de his hoc modo apensis, ac neglectis sic loquitur:

*En miserae leges ad parietes sunt fixae
clavis ferreis:*

*Ubi malos mores effingi nimio fuerat
aequius.*

Ex dictis, optatissimi juvenes, facile vobis patebit quantum omnium nostrum intersit ut legum magistratuumque observantia semper vigeat. Lege enim extincta respublica mortua est, nulla felicitas, in nihilum fuerunt redactae scientiae nostrae. Et sicut recedente anima perit homo et corpus putrescit, ita rejecta et contempta legum et magistratuum observantia perit respublica, jacetque exanimis, et instar cadaveris vitiorum vermibus exessa, tota sanie ac putredine diffluit, foetoremque ex se intolerabilem exalat.

‡ Sed quomodo legum magistratuumque

observantia animis hominum imbuenda, ut illis non sit odiosa immò potius grata et optabilis? En vobis juvenes postremam hujusce orationis partem: en vobis optimae educationis et institutionis necessitas; en vobis denique quare juventutis institutores plurimum boni Patriae et Religioni afferamus et maximè digni simus qui omni honoris et officii et à parentibus et à pueris testificatione observemur et prosequamur. Athenienses Phidiam quod traditum sibi à Republica ebur in Minervae statuam artificiosè formasset optime de civitate meritum arbitrabantur, eumque apud se quàm diutissimè retinere votis omnibus expetebant, maximo ut aiebant, et ornamento ipsis et urbi futurum. Si hoc Atheniensium fuerat de Phidia judicium: Quid de juventutis institutoribus animarum artificibus existimandum? Ebur hi quoque informe et impoliturum pueros scilicet omni saxo rudiore ac veluti truncos accipiunt,

quos mira arte summaque sedulitate, et industria fingunt paulatim ac formant, et non in statuas tantum Minervae sed in Minervas fabricant, ingenuis scilicet disciplinis imbuunt, ac tales demum efficiunt qui altissima quaeque in republica munera cum laude gerant, et veluti lucidissima sydera omnibus prae luceant, fulgentissimosque doctrinae ac virtutis radios longe lateque magno orbis bono diffundant.

Quantum emolumenti afferat recta juventutis institutio hoc Licurgi factum apprimè demonstrat. Cum enim sapientissimus legislator cives suos à moribus praesentibus ad temperatiorem vivendi rationem traducere conaretur, eosque virtutis et honesti studiosos reddere (nam erant corrupti deliciis) duos educavit catulos eodem patre, eademque matre progenitos, quorum alterum passus est domi lautioribus vesci cibis, alterum eductum venatibus exercuit. Deinde cum ambos produxisset in forum apud mul-

titudinem, posuit illic spinas, simul et escas aliquas deliciores. Mox emisit leporem. Cum uterque raperetur ad asueta, alter escas, alter leporem invadit, statimque talia profert Licurgus. ꝑ An non videtis cives duos catulos cum ejusdem sint generis, tamen ob diversam educationem admodum disimiles inter se evasisse plusque ad honestatem habere exercitationem, quam naturam? Res quidem efficax est natura, sed potentior est institutio quae malam naturam corrigit et vertit in bonam. Quales nascantur liberi nulli in manu est; at ut recta institutione evadant boni nostrae potestatis est. Hac de causa praecepit Dominus per Moysen ut Isrrael docerent filios suos ea quae ipsi viderant. Hac de causa legimus Helim sacerdotem malè filios suos corripientem tam ipsum quam illos à Domino puniri. Hac de causa, teste Xenophonte, nihil aequè erat curae Atheniensibus quam recta liberorum institutio, ut à qua

vitae totius momenta et functiones dependent. Hinc denique est quod iis qui pueros et juvenes doctrinâ ac litteris imbuerent, et ad morum honestatem instituere nitentur, maximus ubique gentium honor habitus fuit, multoque studio à summis viris in omni orbis parte requirebantur. Dionisius Siciliae instructa ad omnem splendorem ac pompam navi Platonem in Siciliam arcesivit, venientemque albis littore quadrigis excepit, omnique honoris testificatione ad Regiam deduxit. Athenienses decretum ediderunt nobilissimum in Zenonis honorem ob singularem illius in instruenda juventute curam et industriam, et quoniam complures annos in civitate juvenes philosophiam edocuerat, visum fuit plebi publicè laudare Zenonem, et aurea corona rite et legitime ornare. § Quid plura? § Non legimus non audivimus nunc etiam non videmus qua munificentia recentiores aevi tum Reges tum etiam populorum Proce-

res juventutis praeceptores honoribus cumulantur eorumque commodis attente prospiciunt? § Carolus Rollin cultorum Fabri filius (1) quantis honoribus fuit inter Gallorum purpuratos ob bene susceptam suorum filiorum educationem? § Quisnam hispanorum non scit Ferdinandum Catholicum, cum publicis litterariis exercitationibus Academiae Complutensis una cum inclyto viro Ximenez de Cisneros interfuisset, sedem Rectoris juxta regiam sedem jusse collocari (2)? § Quemnam denique Galliarum latent eximia privilegia quibus Reges nostri hanc Compostellanam Academiam numerarunt postquam ejus institutione nobilissimi Gallaici Lopè de Marzou Didacus de Muros et Alphonsus de Fonseca ignorantiae tenebras fugarunt, et illus-

(1) Eloge de M. Rollin par M. de Boze* lu. dans la assemblée publique de l' Academie des Inscriptions et Belles-Lettres le 14 Novembre 1741.

(2) Opuscules de M. Rollin tom. 1.^{er} Discours sur l' etablissement de l' instruction gratuite.

trium domi militiae virorum seminarium struxerunt?

Satis mihi verborum fecisse videor ut aductis exemplis vobis patefacerem juvenes optatissimi studiorum nostrorum praecipuum seu potius unicum finem in eo consistere ut discamus *Religionem Parentum nostrorum venerari, legibus et magistratibus sanctè et inviolabiliter obsequi, magistros denique nostros omni honore et gratitudinis testificatione semper et ubique prosequi*. Finem itaque dicendi statuam. „Tantummodo à vobis iterum atque iterum deprecor ut parentibus vestris et iis qui eorum vices gerant meo et omnium magistrorum nomine haec dicatis.” *Frustra, Parentes charissimi, frustra praeceptores nostri sanctae religionis amorem virtutis igniculos cordibus nostris incendunt, si domi vos eum extinguitis: frustra nos ad pacem obedientiam moderationem publici magistri sedulo hortantur, et à rixis ac jurgiis co-*

hibent si domi vos continuo rixantes, et continuo contumeliosis verbis proscindentes conspiciamus: frustra nos in aulis verbo et exemplo magistri ad sobrietatem hortantur si domum reversi vos vidimus totos dies et noctes in epulis, in crapula, in computationibus insumentes: frustra à juramentis in schola dehortamur, si vos ad verba prope singula jurantes audimus: frustra à turpium lectione librorum religiosi praeceptores nos deterrent, si vos turpitudinum veluti compendium quoddam cernimus, et in eo etiam nolentes foedissima quaeque perlegimus: frustra et reges et legum latores magistros publicos ex lectissimis viris faciunt et eos honoribus cumulant ut nostram venerationem captent, frustra, cum enim domum revertimur alios magistros vidimus illi supercilioso, tristi, moroso, loquaci, inepto maximè similes quem in domo ducum ingeniosus Michaelis Cervantes eques invenit; alios magistros privatos vidimus, qui à vo-

bis in familiam vocati indigna magisterio domi ministeria obeunt vos adulantur, vos assentantur, et ex magistris fiunt servi servorum qui nos in perditionem trahunt, cum illuceat spes lucri. Ne dicatis Parentes (ut imprudentibus, et semisapientibus declamatoribus mos est) nostrae Galleciae Athenacum malam studiorum formam induxisse squallidam, barbaram, exitialem pernitiosam, dicite potius nos non scholis accipere vitia sed è domibus nostris illa in scholis afferre. „Multis retro saeculis pro certo inter mortales habetur.” Et scholas et leges sine moribus vanas proficere. DIXI.

1870
1871
1872
1873
1874
1875
1876
1877
1878
1879
1880
1881
1882
1883
1884
1885
1886
1887
1888
1889
1890
1891
1892
1893
1894
1895
1896
1897
1898
1899
1900